quod est omnium atrocissimum, instituti scilicet ad im=
pietatem adversus Deum. Cum vero Manichaei rationem
creationis mundi a Deo facti non intelligerent, non
solum actiones hominum a ratione aversas exsequentes,
eo modo, quem diximus, lapsi sunt, sed etiam plurimas
creaturas, immo fere omnia in crimen vocaverunt, quae
nullam tamen vituperationem vere admittunt, mala
autem haec appellaverunt, in aliis quidem mistionem contra=
riorum boni scilicet et mali, ut loquuntur, mentientes,
in aliis vero mali simplex et unius formae reprehen=
sentes; quantum in ipsis fuit, omnia confuderunt, ap=
pellantes mala, quae minime mala sunt. Si enim
injustitiam, in qua homines sunt, quae sola est inju=
stitia acciperent tanquam malum, hic etiam oportebat
nomen et opinionem de ea movere, tanquam quae esset,
dum est actio; aut non esset, dum non est actio, non a=
oportebat introducere principium ipsi contra Deum, fuisset
tamen eorum error affatim circumscriptus et terminatus:
nunc autem cum fere omnia, quae fabricata sunt,
mala esse dicant, blasphemias in Deum in infinitum au=
xerunt, et produnt tanquam certa et ratione ac judicio pro=
bata omnes bestias, et feras, non putantes oportere facta
esse haec a bono, non solum eorum opinione inutilia, sed
hominibus nocentissima, quamvis demonstrari possint
utiliora, et commodiora esse quam ea, quae vere ho=
minibus conducere videantur: ac multa quidem alia
connectunt ad accusationem rerum et gubernationis
universi. Dabitur vero opera, ut nihil tam eorum,
quae dicta, quam quae dicenda sunt, disputatio
non rationis conclusum relinquat; fingunt enim
cogitatione duarum naturarum contrariarum admi=
stionem, et his, ut eis videtur, res omnes distri=
buunt; unde nam, inquiunt, mala, si haec ô creasset

princi=